Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31284
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

nis omne dictus est quia philosophus empireum non cognovit. Quandoque sola regio sublunaris mundus dicitur, quae habet sola animantia nobis nota, sicut de qua princeps mundi huius eicietur foras. Nunquam etiam homo dicitur mundus, quia in se totius mundi ymaginem repraesentat. Unde a domino omnis creatura dictus est, et Greci ipsum microcosmum, id est minorem mundum vocant. Empireum autem et sensilem mundum et sublunarem regionem creavit deus, id est de nichilo fecit. Hominem vero creavit, id est plasmavit. De creatione ergo illorum, cum inquit legislator: In principio creavit deus celum et terram. Celum, id est continens et contentum, id est empireum et angelicam naturam. Terram, id est omnem materiam corporum, id est quatuor elementa, id est mundum sensilem ex hiis constantem. Quidam celum superiores partes mundi sensilis intelligunt, terram inferiores et palpabiles. Hebreus habet heloym, quod tam singulare quam plurale est, id est dii vel deus, quia tres persone unus deus creator est. Cum vero dixit Moyses creavit, trium errores elidit: Platonis, Aristotelis, Epicuri. Plato dixit tria fuisse principia ab eterno: deum, ydeas, ylem, et in principio temporis de yle mundum factum fuisse. Aristoteles duo: mundum et opificem, qui de duobus principiis, materia scilicet et forma, operatus est sine principio et operatur sine fine. Epicurus duo: inane et athamos, et in principio nature quasdam athamos solidavit in terram, alias in aquam, alias in aera, alias in ignem. Moyses vero solum deum eternum prophetavit, et mundum sine materia preiacenti creatum. Creatus est autem in principio, id est in filio, et iterandum est in principio sic: In principio creavit

Quasi alimenta, vel elevamenta, vel ylementa.

deus celum et terram in principio temporis istius. Coeva enim sunt mundus et tempus. Dicitur autem solus deus eternus, sic mundus sempiternus, id est semper eternus, id est temporaliter eternus. Angeli quasi sempiterni. Vel in principio omnium creaturarum creavit deus celum et terram, id est has creaturas primordiales fecit et simul. Sed quod simul factum est, simul dici non potuit. Licet enim hic prius nominetur celum quam terra, tamen scriptum est: In initio tu domine terram fundasti et opera manuum tuarum sunt celi. Dicit quidam: Cito oculos aperio, statim acies mea solem in oriente, quod non faceret nisi multa aeris spatia que sunt inter me et solem transvolaret. Quam momentaneam transvolationem si velim explicare, sepe addam prius et post. Dic prius transit acies mea aerem vicinum, post aerem qui est super alpes, post aerem qui est super terras alienas usque ad oceanum, post aerem qui est super oceanum, et tandem tangit solem. Hanc creationem mundi prelibatam sub operibus sex dierum explicat scriptura, insinuans tria: creationem, dispositionem, ornatum. In primo die creationem et quandam dispositionem, in secundo et tertio dispositionem, in reliquis tribus ornatum.

De primaria mundi confusione.

Terra autem erat inanis, id est primordialis materia adhuc erat inutilis et infructuosa et vacua ornatu suo, et tenebre erant super faciem abyssi. Eandem materiam quam terram dixerat abyssum vocat pro sui confusione et obscuritate, unde et Grecus eam chaos dixit. Quod vero dictum est tenebre erant super faciem abyssi, quidam dogmatizaverunt tenebras fuisse eternas, que iam scilicet cum mundus fieret erant. Alii irridentes deum veteris testamenti qui dicitur eum prius creasse tenebras quam lucem. Sed tenebre nil aliud sunt quam